

DE CANONICA OPTIONE
In Cathedrali Ecclesia Bergomi Diuersorum Responsa

Per


HIERONYMVM ZANCVM



Sacræ Theol. & I. V. D. Eiusdem Ecclesiæ Canonicum collecta,



Perill. ac Reuerendiss. D.D. Prælatis Canonicis, & Capitulo Bergomensi Dicata.




PATAVII, Apud Sebastianum de Sardis. 1641.

SVPERIORVM PERMISSV.

PERILLVSTRIB. AC REV.MIS D. D.
Prælatis Canonicis, & Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Bergomi

HIERONYMVS ZANCVS

EIVSDEM ECCLESIÆ CANONICVS Fælicitatem.



NOn desunt, qui cum se ingenti aliquo beneficio sentiunt obstrictos, eiusdem recordationem animo excutere conantur, ne apud se ipsos erubescant ad pares gratias referendas, vel facultatem sibi, vel voluntatem deesse. Ego verò, quem vos ornastis eo beneficio, quo maius in toto ætatis meæ curriculo nullum accepi, dùm tam vnanimi consensu me in vestrum honestissimum ordinem cooptastis, nihil studiosius, aut pressius animo complector, quam assiduam vestræ in me huma-

nitatis memoriam, gaudeoq; & lætor vestrum beneficium eiusmodi esse, vt mihi nulla spes reliqua esse possit aliquod eo dignum obsequium Vobis rependendi, Vobis verò nullus inde fructus prouenire possit, præter singularis Vestræ beneficentiæ laudem. Vt tamen, qua ratione possum, deditissimam vobis animi mei obseruantiam, omnibus patefaciam, Responsa non nulla in causa Canonicæ optionis, meamque simul qualemcumque scriptionem vobis nuncupare statui, non quod sic putem aliqua ex parte meritis in me vestris respondere, sed vt vos pręteritum beneficium nouo cumuletis, me suppliciter id flagitante boni consulentes, quod exiguum hoc opusculum vestri nominis Inscriptione decorauerim Deus Opt. Max. Vos omnes Bergomenses huic Ecclesiæ incolumes diutissimè seruet.

CAN-

CANDIDO LECTORI.



On ignoro quam difficilem prouinciam susceperim, Candide Lector dum pro Canonica optione nostræ Cathedralis Ecclesiæ etiam In mensibus Apostolicis admittenda, Iurisperitorum Responsa, nec nō & meam qualemcumq; scriptionem in lucem profero. Vt enim omittam ignarum vulgus hominum, qui non rationibus, vel auctoritatibus, sed iurgijs nos insectantur tamquam sacrilegos. quasi non vereamur in Apostolicæ iurisdictionis fines irrumpere, nonnulli sunt, qui caussam ex sola consuetudine, & vsu expendentes, id vnum sufficere arbitrantur, vt omissis rationibus & auctoritatibus, optiones huiusmodi tamquam vsu reprobatæ, ab omnibus sint explodendæ. Augent verò istorum animos multorum querelæ Romanam Curiam sequentium, quorum alij pensiones super Canonicatibus, & Præbendis, alij Canonicatus ipsos cum pinguioribus eorum redditibus aucupantes, plurimum indignantur per huiusmodi optiones sua se expectatione frustrari, aures q; & animos eorum, qui in collationibus Canonicatuum sibi fauere possunt, assiduè obtundentes, apud eosdem nos nimium effusæ licentiæ ac temeritatis accusare non desistunt. Sed, vt verum fatear hęc omnia me non adeò mouebant, id verò vnum in primis me deterrebat quod sacræ Romanæ Rotæ decisiones nō nullæ in lucem nouissime prodierunt, quæ eiusmodi optionibus aperte aduersantur. Nullus vero est adeo Insanæ mentis, qui sapientissimæ illius ordinis nedum Responsa, sed etiam subsellia non maxime veneretur. Verùm mirificè me recreat tantorū Patrū singularis integritas, qui Stu-

dio

dio veritatis, & iustitiæ, suarum decis. fundamenta ideo in medium proferunt vt liberum sit cuique; salua etiam supremi illius Auditorij reuerentia, decis. ipsarum rationes excutere, & proinde si quid iure, vel facto magis coueniens deducitur, benigne ab ijs Patribus excipitur, malunt si quidem Iudices integerrimi, in conseruanda iustitia, quã in decis. sustinẽdis perpetuam retinere constantiam. Accipe igitur, candide Lector, quæ in eam sententiam congessi, neque tamen eo te velim animo ad legendũ compares, quo solent nonnulli, qui antequã scripta perlegant, scribentis institutum condemnant, atq; ita ad legendũ accedunt, ac si contra certissimã veritatem scripta essent lecturi. Paulisper quæso, subsiste, & recti more iudicis sententiam ne animo prius concipias, quã nostra hæc qualiacumque ad finem vsq; perlegeris: si postmodum ea probaueris, non mediocriter gaudebo, sin contra, certè non molestè feram, paratus si à veritate aberrauerim, sententiam meam corrigere, & si oportuerit etiam palinodiam decantare. Vnum verò in primis præmitto, de potestate in beneficialibus amplissima Romani Pontificis, qui est verus Christi Domini in terris Vicarius, nullam apud nos vel minimam hæsitationem esse, eam siquidem cum orthodoxis omnibus constantissime profitemur, de Voluntate est quæstio: An scilicet Romanus Pontifex in Regula de mensibus, voluerit statutis, & consuetudini de optionibus, etiam cum in ijs nullus mutatur titulus in Vniuersum derogare, mentemq; legislatoris ex verbis ipsius Regulæ, quantum nostri fert imbecillitas ingenij, elicere conamur. Verùm si summus Pont. prout alij ex ipsius antecessoribus quandoq; consueuerunt, mentem suam in eiusmodi dubitatione declararet, nullus certè in orbe christiano vniuerso promptius aut alacrius Apostolico se iudicio submitteret, quam Canonici Bergomenses. Vale.

IO:

IO. CAMILLI
MASSVMBRVNI
SAC. CONSISTORIALIS AVLAE ADVOCATI

Responsum in Causa Bergomensi optionis.



On videtur compræhendi Præbenda de qua agitur sub reseruatione quia Præbendæ temporales sub ea non compræhenduntur, sed solum spirituales *iuxta Cons. Card. 126. nu. 4. & 6.* & sufficeret pro exclusione reseruationis, quod Prębenda non sit annexa Canonicatui, sed separata, & obtineri solita ad vitam Canonici antiquioris iure optionis. *Rot. Dec. 9. nu. 3. vers. non obstat de consuetud. in antiq. Card. d. Cons. 126. nu. 4. & 6. Eneas de falconib. de reseruatio: effect. 39. nu. 1. in fin. & tenuit Rota in Vercellen. Canonicatus 4. Maij. 1598. coram Pegna, & in Vercellen. optionis. 28. Junij 1610. coram Card. Caualerio, & in Salernitana Præbendæ 10. Nouemb. 1617. coram bon. me. Vbaldo, & post alias late per Adden. ad Pap. Greg. dec. 478. num. 6.*

Quod

Quod autem Præbendæ sint temporales, & separatę à Canonicatibus probatur, primo quia de Iure sinè nouo titulo, & collatione optatur Præbenda temporalis non autem spiritualis. *Cassad dec. 17. nu. 3. de Præben. Car. d. Cons. 126. nu. 4. vers. nam antiquior Canonicus Calder. cons. 7. de cōsuet. Put. dec. 201. nu. 3. lib. 2. Rota in oscen. optionis 5. Decemb. 1594. coram Gipsio, & in Vercellen. Canonicatus prima Febr. 1616. corā Remboldo.* Secundo quia non mutatur titulus Canonicatus sed eo retento optantur Præbendæ, Imò Canonicatus sunt diuersæ Congregationis, & Collegij separati à Congregatione, cuius Canonicus obtinebat priùs Præbendam, de qua agitur, ex quo habent distinctas, & separatas mensas, ac etiam sigilla, quę sunt signa, ex quibus apparet, quod vnaquæq; congregatio constituit Collegium de per se, licet deinde cōueniant in simul ad faciendum vnum capitulū generale *iuxta tex. in c. scriptum vbi Panor. & alij de Electio.* & non est dubium, quòd in vna, & eâdem Ecclesiam possunt esse plures Congregationes, & Collegia etiam quòd non sint Cannonici, sed solùm beneficiati ex statuto, vel consuetudine, & multò magis quandò sunt Canonici. *Compostell. in c. 1. vers. est verum*

de

de elect. Gemin. post. Imol. in c. fin. nu. 9. vers. aut quærimus, & ibi Franch. nu. 6. de Præben. in 6. Abb. in c. scriptum nu. 4. de Electio. & in c. cum olim nu. 8. & Felin. nu. 4. de sent. & re Iudic. Rota diuers. dec. 713. nu. 5. parte prima.

Imò in eâdem Ecclesia possunt esse diuersa Collegia penitùs separata, *vt per Vital. post alios in Clem. 1. de Elect.*

Demùm comprobatur ista distinctio, & temporalitas, quia per optionem remanet Canonicus Congregationis illius, cuius erat Canonicus antè optionem, & solum optat Præbendam, quæ obtinebatur a Canonico alterius Congregationis, quod clarissimè ostendit, non esse mutatum titulum Canonicatus. Et ità videmur esse in claris, quia etiam quando sumus in eâdem Congregatione, & Collegio ex optione Præbendæ non sequitur, quòd sit mutatus titulus Canonicatus. *Archidiacon. in c. cum in tua col. 2. in princ. vers. Prætcrea de consuet. in 6. Prob. ad Monach ibidē in vers. antiquiores littera B. Rota dec. 10. n. 2. circa fin. de probatio. in antiq. & de communi testatur Caßad. dec. 17. nu. 6. de Præben.*

Quare. &c. Io: Camillus Massumbrunus
Sacræ Consistorialis Aulæ Aduocatus.

HIPPOLITI MERENDÆ ADVOCATI ROMANI

Responsum in eâdem causa.



Vbitatur,an stante consuetudine Ecclesię Bergomensis optandi pinguiores, Præbendas,quando vacant Canonicatus, & præbendæ per obitum alicuius Canonici intret optio præbendæ in Vacatione Canonicatus, & Præbendæ vacantis per obitum Iacobi Carrariæ Prothonotarij Apostolici, qui casus in terminis coadiutoriæ cùm futura successione, quæ continet specialem affectionem fuit propositus in alia Bergomensi Præbendæ Coram Archiepiscopo Dunozetto Inter Petrũ Ceronum, & Io: Antonium Lupum,& nescio quid decisum, ideo poterit reperiri ista decisio, quæ valdè confert ad resolutionem presentis casus.

Et ommissis allegationibus auctoritatum, & decisionum, quæ apud omnes sunt satis notæ, puto, resolutionem huius articuli pendere, à qualitate optionis,clarum enim est,quòd quilibet Canonicus habet annexam suam Præbendam, cum non detur canonia sinè Præbenda, & ideò præbenda

nasci-

nascitur ex Canonia, sicuti filia nascitur ex matre *Monet. post alios de opt. cap. 7. quest. prima.*

Prout etiam certum est in *Præbenda* duo iura considerari, videlicet ius spirituale, quod est annexũ, & immediatè dependet ab ipsa Canonia, & ius temporale, seù illa mera temporalitas consistens in prædijs, & bonis, illorumque fructibus merè temporalibus, quę est quid separatum à Iure spirituali ipsius *Præbendæ*, qua ratioue etiam laicus potest præbendari in ista temporalitate *Monet: vbi supra nu. 13, & 14. & per discursum dictæ quæstionis.*

Punctus ergò Consistit an reseruatio capiat nedum Præbendam prout consistit in spiritualitate, quod est illud ius præbendale perpetuò annexum ipsi Canoniæ, de quo nõ ambigitur, cum illud sit perpetuò addictum Canonicatui, sed capiat etiam Præbendam, prout consistit in temporalitate, videlicet, illam pinguedinem maioris partis bonorum, & fructuum, prout vna *Præbenda* distinguitur ab altera, & sicut *Præbenda* consistit in mera temporalitate *vt discernit monet: d. quest. 7.*

Vndè pro resolutione videndum est in facto si istæ Præbendæ Temporales, quatenus, vt dixi, consistunt In prædijs, & bonis, temporalibus, sunt sepa-

ratæ ab ipsi Canonicatibus, & Præbendis Spiritualibus ita, vt per optionem, quæ fit in ista Ecclesia, non mutetur titulus præbendæ spiritualis, sed mutetur sola temporalitas, & pinguedo præbendæ temporalis, quatenus consistit in mera temporalitate, Ita vt retento eodem titulo Canoniæ, & præbendę spiritualis, Canonicus, qui optat, mutet dumtaxat bona, & pinguedinem fructuum, *vt distinguit Mant. dec. 173. post Rotam dec. 6. nu. 1. col. 3. de consuet. in nou.*

Quo supposito stante, quòd in ista optione non mutetur nisi nuda temporalitas bonorum, & quòd istæ prębendę temporales non sunt annexę alicui certo Canonicatui, sed omnibus Canonicatibus in genere, ita vt quilibet Canonicus in occurrentibus vacationibus modò habet vnam, modò habet alteram prout vacatio contingit, videtur posse defendi, reseruationem non obstare optioni, ex quo prouisus de Canonicatu, & præbenda reseruata habebit vltimam præbendam temporalem, quæ remanebit inoptata, prout seruatur in membris, & præstimonijs, quæ vbi non sunt annexa certis Canonicatibus optantur non obstante reseruatione, quia non dicuntur de pertinentijs illius Canonicatus, & præbendæ vacantis

cum


cum non sint illi annexa *iuxta decis. Greg. 478;* sed possideantur temporaliter ab ipso Canonico ex accidenti tanquam membrum separatum à suo Canonicatu, & Præbēda, sicuti in Ecclesia Vercellensi fuit sępiùs decisum *Caual dec. 116. & in alijs.*

Et licet in aliquibus decisionibus Rota dixerit reseruationem compręhendere etiam temporalitatem bonorum, tamen id procedit supposita annexione, ità vt illa temporalitas sit de pertinentijs Canonicatus, & Prębendę vacantis, secùs vbi est membrum separatum, quod pro tempore possidetur à Canonico prębendato iuxta contingentiam facti, nec intrat pręsumpta annexio, si per optionem fit mutatio temporalitatis, dum pro tempore occurrit vacatio. Ex quibus sequitur resolutio alterius dubij circà Ius quesitum, quia si optio huius præbendæ temporalis est bona, non est locus derogationi statuti vel consuetudinis de optando in prouisione postea facta per Papam, quia obstaret regula de nō tollendo iure quesito, stante optione præcedenti, derogatio enim intrat ante factam optionem, prout videmus in præsentatione, quod derogatio iuris patrona-

tronatus tollit quidem ius præsentandi, si precedit præsentationem, sed non tollit effectum præsentationis iam factæ, vt dicunt plures decisiones.

Quare. &c.

Hippolitus Merenda.



MEL-

MELCHIORIS LOTERII ADVOCATI ROMANI

In eâdem Causa Responsum.

1 QVando queritur de temporalitate, vel ſpiritualitate præbendarum in aliqua Eccleſia, ad effectum eas excludendi, vel includendi in reſeruationibus Apoſtolicis, quominus locus ſit diſpoſitioni *tex. in cap. vlt. §. in præbendis de conſuetud. in 6.* quatenus ex ſuppoſitione reſeruationis ſtatutum de optando, & quodcunque aliud Ius ſingulare penitus quieſcit, quod latè proſequitur, & exornat *Gonzal. ad reg. de menſib. gloſſ. 34. ex nu. 2.* conſueuerunt, pro diuerſitate ſubiecti conſtitui duo diuerſi caſus.

2 Prior eſt, quando id quod venit in controuerſiam, eſt vnum aliquod corpus, nedum diſtinctū ab ipſo titulo canonicali, ſed etiam ab eo ſubiecto, quòd vtcunquè in temporalitate conſiſtat, nuncupatur præbenda canonicalis, ſecundùm id quod inferiùs explicabitur, veluti ſunt ædes, Cameræ, & huiuſmodi alia membra, & hoc quidem caſu ea eſt adhibenda diſtinctio, vt ſi huiuſmodi mem-

membrum ſit ex natura ſua, & ordinatione capituli tale, vt eius ſit capax quiuis laicus, pro aliquo miniſterio temporali, vt puta, aduocationis, procurationis, Magiſterij, ſimiliſuè alterius, reputetur quid merè temporale, etiamſi, concedatur Canonicis, ſiuè Capitularibus, ſecundùm eorum antianitatem, *& hoc eſt, quod circa membra huiuſmodi Eccleſiæ Vercellen. decidit Rota, apud Verall. deci. 281. n. 1. par. 2. & aliàs pluriès, vt apud Caualer. deciſ. 116. nu. 1. & plures cumulat Beltram. ad Gregor. deciſ. 478. nu. 6.*

3 Si verò huiuſmodi membrum è conuerſo ſecundùm ſtatutum Eccleſiæ, & ordinationem capituli, non ſit applicabile alteri perſonæ neque alio iure, quàm perſonæ alicuius Canonici, & iure canoniæ, quia videatur annexum tali iuri, haud quaquam reputetur temporale, ſed ſpirituale, ſiuè ſpiritualitati admixtum, ſortiaturque ideo eamdem naturam ſpiritualitatis, ad hunc ipſum, de quo agitur, effectum, vt cadat ſub reſeruationibus Apoſtolicis, æquè ac cadunt Canonicatus, & præbendæ Canonicales, & in eo ceſſat ius optandi, *& hoc eſt, quod in puncto decidit Rota in præcita. Gregor. deciſ. 478. nu. 2. & 3.*

4 Ratio iſtius diſtinctionis, & prioris eius membri

eſt,

est, quia supposita natura subiecti, quod sit applicabile cuiuis laico pro ministerio laicali, ex ordinatione Ecclesiæ, siuè capituli, non attenditur, quòd applicetur personæ alicuius Canonici, pro simplici antianitate, id enim contingit per accidens, quod non alterat substantiam, & naturam ipsius subiecti *l. generaliter §. proinde, de fideicommissar. libertat. cum simil. adductis, per Gomes. in §. in personam nu 4. Institut. de action.*

5 At supposita contraria ordinatione, siuè iure singulari, ex consuetudine Eccl. quòd alteri non sit applicabile, preterquàm personæ obtinenti canonicatum, aut præbendam canonicalem Insurgit ius annexionis temporalitatis, ad id, quod spirituale est, qua fit, vt temporale, assumat naturam subiecti spiritualis, veluti nobilioris *vt in c. quanto de Judic. tradunt gloss. in verb. connexa, Anchar sub nu. 2. vers. quærit, Jo: de Imol. sub nu. 1. vers. nota quod res separata, Barbat nu 9. & alij pasim, Christophorus de Anguian in tracta. de legib. lib. 2. controuers. 13. nu. 21, & 22.*

6 Nimis enim à iuris regulis exorbitaret, si data huiusmodi connexione, alterum ex connexis diuersimodè ab altero dijudicaretur, *contra l. 1. C. de diuers. rescript. & c. penult. de Appelat. Bart.*

per eum text. in l. cum actum nu. 2. de negot. gest. Menoch. cons. 266. nu. 38. & 1115. nu. 10.

7 Caterùm, quamuis ratio istius secundi membri videatur pertinere ad hanc nostram controuersiam, vt mox dicetur, tamen sumus extrà hunc casum, cum nunc non agatur de aliquo membro, temporali, quod prætendatur distinctum etiam à præbenda Canonicali.

8 Alter ergo est casus, quando agitur, non de membro huiusmodi aliquo, sed de ipsamet præbenda Canonicali; & hoc quidem casu semper existimaui, & nunc etiam existimo, inanem esse, & ferè puerilem distinctionem (quantum tamen, ad hunc effectum, de quo agitur) inter præbendam temporalem, & præbendam spiritualem, nam, cum impossibile sit, aliquam præbendam verè, ac propriè dici præbendam Canonicalem, quæ sine canonicatu sit, *Bal. in cap. cum M. Ferrariensis. nu. 10. de constitut.* & è conuersò aliquem esse Canonicum, sine hac præbenda canonicali, vel saltem sine illius expectatione, *cap. relatum de præbend.* nisi velimus id constituere in Canonico vmbratili; & de herba, *vt loquuntur doctores, apud Hoied. de benef. compatibil. par. 1. cap. 12. nu. 5.* necessitate efficitur, vt alterum alteri dicatur con-

nexum

nexum connexione indiuidua, cum hæc sit vera, & formalis annexio quandò alterum, sine altero stare non potest, *vt docet Aretin. in cap. translato nu. 3. de constitutio. Niconit. in repetitio. Rubric. nu. 58. de nou. oper. nunciat. Menoch. de Arbitrar. Judic. cas. 95. num. 8.* Quo fit, vt perpetuò id quod spirituale est tanquàm dignius, rapiat in propriam naturam, id quod temporale est, tanquàm minus dignum, secundum Regulam superiùs firmatam.

9 Et quamuis non ignorem, aliquos, pro præbenda spirituali, nihil aliud intelligere, quàm ius emergens ex canonia, pro consequutione reddituum, pro prębenda autem temporali prędia, ex quibus fructus huiusmodi percipiuntur, attamen isthæc acceptio ità simpliciter posita, inuoluit manifestissimos errores, nam supposito illo iure percipiendi redditus, absque temporalitate, vnde percipiantur, non poterit dici præbenda deficiente subiecto, vndè aliquid præbeatur, *vt subtiliter aduertit Innocen. in cap. maioribus, in princ. vers. & hac ratione, de præben.* & è conuersò supposita temporalitate, vndè fructus percipiantur, poterit quidem dici præbenda larga significatione, *de qua per Hoied. in præcit. tracta. de compatibil. be-*

ficiorum par. 1. cap. 2. nu. 2, & per Raudenſ. de Analog. cap. 6. n 29. ſed minimè dicetur præbenda canonicalis, *& hic eſt ſenſus gloſſ. in d. cap. cum M. Ferrarienſis, in verb. receperunt de conſtitutio.* & qui aliter diceret, ſimul oſtenderet ſe non intelligere, quid ſit præbenda cononicalis, *vt nuncupatim dixit Cardin. in conſ.* 143. *nu.* 1, & hanc diſtinctionem inter prębendam ſic largè dictam, & præbendam Canonicalem facit etiam *Bald. in eo. cap. cum M. Ferrarienſis, nu.* 10. *de Conſtitutio.* quippè præbenda hæc canonicalis, de qua nunc tantum eſt quæſtio noſtra, conficitur ex concurſu duorum ſimul in eodem ſubiecto vnitorum, videlicet illius iuris percipiendi, & temporalitatis, qua ex ~~quia~~ perceptio fiat, *vt colligitur ex ſupradicta gloſſ. iuncta doctrina Cardinal. in clem. vlt. nu.* 10. *de præbend. & Innocen. in d. c. maioribus in princ. verſ. quia hoc nomē, & latiùs demōſtraui in tract. de re beneficiar. lib. 1. quæſt.* 19. *ex nu.* 10, vbi ex num. 20. oſtendi, non eſſe faciendam vim ſuper vulgi vſitato loquendi more, dum prædia ipſa vocat præbendas, prout faciunt etiam aliqui doctores, nam id minùs proriè dicitur, cum verius ſit ea non eſſe præbendas, ſed præbendalia, *cap. inter cætera de præb. & benè aduertit Cardin. in cōſ.* 126. *nu.* 4.

10 Ne-

10 Neque dicatur, hæc quæ diximus procedere, quando singulis Canonicatibus, singulæ sunt annexæ præbendæ inseparabiliter, ita vt dato iure optādi optetur etiàm ipse titulus canonicalis, nàm præter hanc annexionem datur etiàm altera, videlicet, quandò præbendæ, non sunt singulæ singulis canonicatibus, inseparabiliter applicatæ, siuè connexæ, & tamen sunt connexæ connexione perpetua ipsi iuri canoniæ, adeòque spiritualitati, quæ nihilominus secundùm superiùs dicta vertit in suam naturam temporalitatem illam, quod depræhenditur ex eo signo, an videlicet numerus præbend. correspondeat numero ipsorum Canonicatuum, prout mihi supponitur responderé in casu nostro, *quæ fuit doctrina Abb. in d. cap. maioribus, sub nu. 4. vers. quandoq; & in c. dilecto nu. 6. de praben. quam amplexa fuit Rota in Hipporegien. prabenda, 25. Ianuarij 1608. coram Mãzanedo, quæ est in terminis terminantibus istius controuersia, vt in copia, & rursus in Conchen. Coadiutoria, 27. Nouembris 1619. coram Archiep. Seleuien. me in vtraque scribente. & notauit etiam Beltramin. ad eamd. Gregor. decis. 478. sub nu. 6. vers. annexio autem benè probaretur.*

11 Ete-

11 Etenim distinctio hæc inter annexionem inseparabiliter factam singulis canonicatibus, vel potius iuri canoniæ, non consideratur, nisi ad vnum finem, respectu iuris optandi, videlicet vt exigatur auctoritas habentis conferre, dum optatur ipsemet titulus, *iuxta doctrinam Hostiens. in c. quæsitũ n. 3. de rer. permutat. & bene declarat Cardin. in præall. cons. 126. sub nu. 4. vers. & secundum hæc intelligitur, & ipse notaui d. quæst. 19. nu. 24,* quod non minuit vim, & effectum reseruationis, in elidendo iure optandi, nimirùm perpetuò vigente annexione illa ex correspectiuitate numeri, *quod etiam exposui lib. 2. quæst. 25. ex nu. 51. & 56. & quæst. 38. ex nu. 5.*

12 Et sanè querimoniæ Capitularium de obseruantia suotum statutorum in his casibus, minus iustæ sunt, quàm sibi persuadeant, nàm si habeāt istud ius optandi, ex statuto confirmato à Sede Apost. ità extenso, vt capiat casum reseruationis, contrà dispositionem *text. in d. cap. vlt. de consuet. in 6,* negari non potest, quin in hoc sibi præiudicetur, & ideò est obseruandum, an reseruatio sit talis, quæ in specie submoueat etiam istud ius singulare, siquidem, non omnis reseruatio habet hanc vim, & protestatem, *vt memini alias me respon-*

disse,

diſſe, contra opinionem Simonet. de reſeruat. quæſt. 45. nu. 3. & Mandoſ. ac aliorum ibi allegatorum per Adden. verùm vbi non adeſt adeò prægnãs ſtatutum cum confirmatione Apoſtol. in forma ſpecifica, non habent de quo iuſtè queri poſſint, quià ſtatutum inferiorum recipit perpetuò hanc interpretationem, vt reſtringatur ad caſus, quãdò prouiſio ſpectat ad inferiores à Papa, ita vt ſemper in eius radice cenſeatur præſeruata Papæ auctoritas, *Put. deciſ. 301. n. 1. & 2. lib. 1. & dec. 11. de conſtit. Rota in antiq. deciſ. 18. de reſcrip. Anton. Auguſtin. in epitom. de Conſtitutio. n. 19. & reſpondit Rota in Ratisbonen. Canon. 13. Ianuarij 1617. coram Rpd. Pirouano, & notaui d. quæſt. 38. ex nu. 11.*

13 Neq; exiſtimo negotiũ facere diſtinctionẽ duorum corporum in hac Eccl. quia illa ſupponitur ad diuerſos effectus, non autèm ad hunc, vt reſpectu iuris Canoniæ, videantur diſtinctæ præbendę proindèque ſubijciuntur tandem vnitati, nè detur monſtruoſitas aliqua in Eccl. *Hoſtienſ. in c. 1. n. 1. de for. cõpeten. & ibi Abb. n. 18. & Bellam. ſub n. 15. verſ. alij dicunt Rota in recen. par. 1. dec. 324. n. 11. & fuit reſpõſum in Paduana ſedilium 18. Martij 1618. coram Cardin. Sacrato.*

Et ita, &c. ſaluo &c.

HIE-

HIERONYMI ZANCHI
S. THEOL. & I.V.D. CANON. BERGOMEN.

Responsum in eâdem Causa.

1 

Vm in regula octaua hodiè nona de mensibus non simpliciter derogetur statutis, & consuetudinibus de optando, sed limitatè, quatenus reseruationi eiusdem regulæ aduersantur, vt expressè habetur in regula ibi *aduersus reseruationem huiusmodi minimè suffragari*, & in terminis illius regulæ notarunt *Put. decis.* 319. *nu.* 4. *lib.* 1. *&* *Gonzal. in eamdem reg. gloss.* 40. Punctus difficultatis in eo solum versatur: Vtrum optiones, quæ vigore statuti, & consuetudinis fiunt In Ecclesia Bergomensi huius regulæ reseruationi aduersentur, vt proindè, qui se fundat in derogatione statuti, & consuetudinis de optando teneatur probare optiones nostras reseruationi aduersari, qui enim se fundat in qualificata, & limitata dispositione, debet qualitatem, & limitationem probare in casu, de quo agitur, *l. Vnica ff. ne quid in flum. pub. vbi Bart. Io. Andr. c.* 1. *sub n.* 4. *circà*

medium

medium in V. Christianorum de homic. Alex. cons. 172. visis, & opportunè discussis nu. 5. vers. nam quando lib. 2.

2 Ex quo etiam infertur, quòd quatenus qui optiones impugnant, clarè, & apertè non probent optiones ipsas reseruationi huius regulæ aduersari, ità vt res in iure dubia remaneat, pro optionibus sit iudicandum, cumprobatio dubia non releuet *cap. in præsentia de prob.* & paria sint non probare, & non concludenter probare *arg. l. de ætate §. nihil ff. de interrog. action. Franc. in c. si à sede sub nu. 6. de preb. 6.* & in terminis reseruationis, quòd qui in ea se fundat, debeat illá plenè, & concludenter probare in casu, & ad effectum, de quo agitur, *Beltram. ad decis. Greg. XV. 53. num. 5. Coccin. decis. inter eius impressas 124. nu. 7. vbi aliæ cumulantur.*

3 Et hinc Respõdetur ad motiuũ de quo in responso *Lother. acutiss. & doctitiss. ætatis nostræ doct. sub n.* 12. quod. s. immeritò cõquerantur capitulares se indebitè molestari in iure optandi per prouisos Apostolicos de Canonicatibus Vacantibus in octo mensibus, quia, Inquit, nisi habeant statutum à sede Apostol. confirmatum Ità extensum, vt capiat casum reseruationis, nullatenus ipsis preiudicatur, cum statuta huiusmodi procedát so-

lum in casibus in quibus collatio spectat ad inferiores à Papa.

4 Nam ex præmissis constat ad prouisos Apostolicos, qui in reseruatione se fundant, pertinere onus probandi portiones illas præbendales, quæ optantur, comprehendi in reseruatione, & quòd reseruatio capiat id, quod optatur in facti specie, de qua agitur, neque optantibus necesse est probare in statuto comprehēdi casum reseruationis cum statutum generaliter loquatur, procederet quidem obiectum, si præsupponeretur eas portiones prębendales, de quibus loquitur statutum, comprehendi in reseruatione, quia tunc necesse esset deducere statutum validum, quod in optionibus se extenderet ad casum reseruationis; sed cum dicamus eas portiones non comprehendi in reseruatione non est à nobis deducendum statutum, quod aduersus reseruationem suffragetur, vt supponit Lother. sed potius ex aduersò clarè, & concludenter probari debet, eas portiones in reseruatione comprehendi. Ad id autèm quod dicitur statutum non comprehendere casum in quo collatio spectat ad Papam inferiùs respondetur sub num. 22.

5 Vt autem propius ad difficultatem propositam accedamus An. s. præbendales istæ portiones,

quæ

quæ consistunt in prædijs,& redditibus temporalibus in casu nostro compræhendantur in reseruatione regulæ.

6 Præmitto primum *ex Butr. c. maioribus nu.* 3.*de præb. & alijs quos citat, & sequitur Lother. de re benef. lib.* 1. *q.* 19.*ex nu.*4. discrimen esse inter Canoniam, præbendam Canonicalem, & bona præbendalia, quæ superiùs appellaui portiones præbendales. Canonia siquidem, siue Canonicatus est ius spirituale proueniens ex receptione in fratrem, ratione cuius Canonicus habet stallũ in choro, vocem in Capitulo, & alia emolumenta ob seruitium Ecclesiæ præstari consueta, Præbenda verò Canonicalis propriè dicta, quàm *tex. c. inter cætera de præb.* Vocat beneficium præbendale, *& Gig. de pens. q.* 63. *nu.* 3. *Monet. de option. c.* 2. *nu.* 17. *Mant. decis.* 273. *nu.* 1. *& nouissimè Rota in Bergomen. pensionis* 29. *Maij* 1640 *coram Cocc.* vocant titulum beneficialem, est Ius spirituale competens Canonico percipiendi aliquos redditus sibi assignatos ratione sui tituli prębendalis. Bona verò præbendalia, quæ & dicuntur pinguedo, siuè temporalitas præbendæ, & ab alijs fundus vel terrenum præbendæ, sunt redditus ipsi, qui à Canonico præbendato ratione sui tituli præbendalis percipiuntur, & hi impropriè

dicuntur prębendæ *Lother. d. q.* 19.*nu.*10. Porrò hæc bona præbendalia, siuè portiones præbendales sunt duplicis generis quantum attinet ad propositum nostrum, Aliquæ enim sunt quarum capaces sunt etiam laici ratione alicuius officij nó ecclesiastici, veluti procuratoris, Aduocati, & similium de quibus *Gonzal. gl.* 5.*nu.*6.*cum ibi allegatis*, & *Barbos. de Canon. c.* 12.*nu.* 14, & in hac significatione à nonnullis doctoribus vsurpatur nomen prębendæ temporalis. Aliæ verò sunt quarum capaces nó sunt laici, & hæ dicuntur propriè Canonicales, quæ rursus etiàm dupliciter se habent comparatione titulorum præbendalium: Aliquæ enim sunt ità annexæ alicui certo, & determinato titulo præbendali, vt ab alio nequeant obtineri, præterquàm ab habente illum titulum, prout sunt in Ecclesia nostra portiones præbendales, quæ possidentur per Canonicũ Theologũ, & per Canonicum Pœnitentiarium. Alię tandem sunt quę licet à canonicis tãtum obtineri possint, nihilominus non sunt annexę certò canonicatui aut titulo prębendali, sed quilibet Canonicus absq; mutatione canonicatus, aut tituli prębendalis obtinet modò vnam ex his portionibus modò alteram, prout vacatio contingit, & huius generis sunt in Ecclesia nostra portiones bonorum prę-

benda-

bendalium, vt infra dicetur, & de his est pręsens controuersia: Vtrum optio istarum portionum reseruationi aduersetur.

7 Præmitto igitur secundò in Ecclesia nostra portiones huiusmodi præbendales, quæ consistunt, vt dixi, in prædijs, & redditibus, esse quidem annexas omnibus Canonicatibus, & titulis præbendalibus in genere, sed non singulas singulis, ita vt licet ex correspectiuiuitate numeri Canonicatuũ, & portionum ipsarum præbendalium præsumatur annexio *iuxta doctrinam Abb. cap. maioribus sub n. 4. de præb.* nihilominus ista annexio non sit inter singulas portiones cum singulis & determinatis titulis prębendalibus, sed cum omnibus in genere, & si Abbas loco citato velit ex hac correspectiuitate numeri præsumi annexionem singularum portionum cum singulis Canonicatibus vt videtur innuere illis verbis, *qualibet præbenda inheret suo Canonicatui*, præsumptio tamen cedit veritati, & contrarijs probationibus eliditur prout in terminis optionis *dixit Rota in Vercellen. optionis 1. Februarij 1616. coram Ramboldo.* nulla igitur in casu, de quo agitur est annexio saltem propriè dicta inter singulas istas portiones cum singulis titulis præbendalibus, siquidem potest vnus Canonicus retenta eadem

præbenda ſpirituali obtinere modò vnam, modò alteram portionem, & ſic nulla certa portio eſt annexa alicui certo titulo, ſed modò vna modò altera, cuiuſmodi annexio reſpectù huius, & illius tituli in ſingulari nõ eſt verè, & propriè annexio, vt ſuperiùs dixi, connexa enim ſunt, quæ ab inuicem ſeparari non poſſunt, *ex Menoch. de arbitr. caſu 95. nu. 8. Loter. d. q. 19. nu. 23. & in præin-ſerto reſponſo num. 8.* quòd autèm res ità ſe habeat in Eccleſia noſtra, agnouit etiam Rota in præcitata Bergom. penſionis, & alioqui in facto euidentiſſimum eſt ex collationibus, quæ fiunt in menſibus non reſeruatis, nam portio præbendalium bonorum quę poſſidebatur per Canonicum defunctum, optatur per Canonicum antiquiorem eiuſdem claſſis, & tamen præbenda .ſ. titulus præbendalis confertur illi, qui in locum defuncti eligitur, & ſic luce meridiana clarior eſt in Eccleſia noſtra ſeparabilitas cuiuſlibet præbẽdæ, prout dicit ius ſpirituale, à ſingulis portionibus præbendalibus; quòd etiam vlteriùs ex eo confirmatur, quià in noſtra Eccleſia prębendæ prout ſunt tituli beneficiales, ſunt diuiſæ inter duas Congregationes S. Alexandi videlicet, & S. Vincentij, portiones verò præbẽdales remanent indiuiſæ reſpectu vtriuſque Congregationis, ità vt Canonicus prę-

bendatus in vna cõgregatione possit optare portionem præbendalem, quam obtinebat Canonicus defunctus alterius cõgregationis, & remanet nihilominus Canonicus præbendatus in eadem congregatione, cuius erat antè optionem, nequè refert dicere quòd ex vtraque congregatione constituatur vnum capitulum, quià nihilominus remanet duplex collegium, & præbenda spiritualis vnius collegij numquàm mutatur cum præbenda spirituali alterius collegij vt patet.

8 Præmitto tertiò cum doctores dicunt præbendã spiritualem vacantem in octo mensibus Apostolicis esse reseruatam, nomine præbendæ spiritualis intelligi solùm titulum beneficialem. *Hæc fuit originaliter doctrina Card. cons.* 126. cuius verba sub nu. 4. sunt hæc. *Tertiò confirmatur per verba de quibus in litteris Petri præmissis, ibi: dudum omnes Canonicatus, & præbendas cæteraq; beneficia Ecclesiastica quorumcumq; Capellanorum sedis Apostolicæ tunc vacãtia, & in anteà vacatura collationi, & dispositioni nostræ reseruãtes &c.* per quæ verba apparet quod loquitur de præbenda prout est titulus beneficij Ecclesiastici propter illa verba, *ceteraq; beneficia Ecclesiastica*, per quæ infertur, quòd prius locutus fuit de beneficijs

Eccle-

Ecclesiasticis vt clausula generalis non sit posita impropriè quæ clausula posita esset impropriè si prius dixisset de beneficijs non Ecclesiasticis, & postea subijceret, *ceteraq́ beneficia Ecclesiastica*, debet enim clausula intelligi secundum ea quæ specificata sunt ante clausulam &c. et paucis interiectis nu. 6. inquit: *sic ergo prabenda dimissa per Martinum, cum non sit beneficium Ecclesiasticum ex quo non dimisit ex toto, sed tantùm prædia permutauit non cadit sub reseruatione prædicta*. Hactenus Cardin. ex quibus constat præbendas spirituales, quas dicimus tantum modo reseruari, eas solùm esse, quæ sunt tituli beneficiales, qui in iure spirituali consistunt, non autem illas, quæ spirituales denominantur; quia sint spiritualitati annexæ. Vnde totus ille discursus, quem facit *Lother. tum in responso præinserto nu. 5 tum lib. 2. quæst. 25. nu. 57.* quod .s. temporale illud annexũ spiritualitati subeat naturam tituli Canonicalis; tamquam titulus Canonicalis, qui est quid spirituale rapiat in sui naturam illud temporale &c., totus, inquam ille discursus si benè aduertatur, pertinet ad quæstionem nominis non rei, de qua nunc agitur, dato enim quòd redditus, & prædia, quæ in substantia sunt quid temporale, ratione annexionis ad titulum beneficialem

lem denominentur aliquid ſpirituale, non indè tamen efficitur, quod ſint illud ſpirituale ius, ſiuè illa præbenda ſpiritualis quę cadit ſub reſeruationem, vt ſuprà dictum eſt cum Cardin. quòd ſi dicatur ſufficere, ſi prædiū ſpiritualitati ſit annexū, ad hoc vt ſaltem conſecutiuè comprahendatur ſub reſeruatione, iam de hoc eſt quæſtio an .ſ. in vniuerſum eiuſmodi annexum comprahendatur in reſeruatione, neq; ad hanc quæſtionē quicquā facit, quòd vocari debeat potiùs ſpirituale, quàm temporale, leges enim rebus non vocibus indicuntur *l. 2. C. comm. de legatis in fine.*

9 Prout neq; diſcurſus eiuſdem *Lotehr. in reſponſo nu. 9.* vbi Impugnat diſtinctionē illam inter præbendam ſpiritualem, & temporalem pertinet ad quæſtionem rei, concedimus enim præbendam ſpiritualem dari nō poſſe, quin detur ſimul temporalitas illi correſpondens, cum hæc duo ſint relatiua, quorum vnū ſine altero eſſe non poteſt, *vt Ariſt in prædic. c. ad aliquid, & Gloſſ. in V. eternaliter clem vnica de ſum. Trin. & fid. Cath:* ſed tamen diſtinguimus inter hæc duo extrema, videlicet inter ius præbēdale, & bona præbēdalia, ità vt priùs extremū vocemus præbendam ſpiritualem, poſterius verò temporalitatem, & pinguedinem præbendæ, dicamuſq; ſpiritualem, quæ

est titulus beneficialis cadere sub reseruationem, temporalitatem verò non item, nisi quatenus à titulo reseruato separari non potest, quia sic constituit vnum indiuiduum cum ipso titulo per incorporationem *ad l. quemadmodũ C. de Agricol. & censit. lib. 11.*

10 Præmitto quartò quòd licet in reseruatione huius regulæ comprehenduntur omnes canonicatus, & præbendæ prout sunt tituli beneficiales, nihilominus non comprehenduntur omnes collectiuè, & in genere, sed distributiuè, & in singulari, videlicet hic, & ille canonicatus, & titulus præbendalis, prout illius vacatio cõtingit in mense Apostolico. Hoc præmisũ patet ex Verbis ipsius regulæ, cum dicit *omnia, & singula Vacantia in singulis mensibus &c.* cum enim Vacatio non contingat, nisi ratione singulorum Canonicatuũ non Canonicatuum in genere: verba illa vniuersalia *omnia*, & *quæcumque* limitantur à suo termino restrictiuo, *Aret. consf. 78. sub nu. 4.* & facit optimè quòd in simili generalitas verborum relata ad locum debet restringi ad limites illius. *Euer. in loco à subiecta materia nu. 13. & in loco à nom. dign. nu. 6.* Itaquè cum verba illa generalia limitentur ad casum vacationis determinatæ ad menses Apostolicos, vacatio autem huiusmo nõ

con-

conueniat omnibus Canonicatibus in genere, & collectiuè sumptis, sed huic, & illi Canonicatui, vt patet ad sẽsũm, hinc est, quòd licet reseruatio ex vi sua nullũ canonicatũ excludat, quia nullus est, cuius vacatio contingere non possit in aliquo ex mensibus Apostolicis, nihilominus eiusmodi reseruatio non sortitur effectum nisi in singulari, scilicet in Vacatione huius, & illius Canonicatus in mense Apostol. cõtingente, quo circà ad iudicandum an eiusmodi portiones bonorum præbendaliũ, de quibus est quæstio, ratione annexionis comprehendantur in reseruatione Canonicatuum non est habendus respectus ad canonicatus in genere, nàm ijs non applicatur effectus reseruationis, sed ad canonicatum hunc vel illum in mense Apostolico vacantem in singulari, siquidem in eo solùm, & non in canonicatibus in genere reseruatio suum operatur effectum, qui attendendus est potiùs quàm formalitas verborum; Iura enim effectum non verba considerát *it l.2.C.cõm.de leg.Tusc.litt. E.concl.* 50.

Tandem præmitto propter S. Rom. Rotę decisiones, quæ ex aduerso allegantur, eas quidem esse maximæ auctoritatis, non tamen excedere vim magistralis sententiæ citrà necessitatem eas sequendi, *de quo præter Cassad. qui fuit Rotæ*

Auditor decis. 17. nu. 7. de prab. videre est allegatos per Masc. de prob. Vol. 1. concl. 485. Menoch. de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 71. nu. 14. Scacc. de Judicijs lib. 1. c. 97. nu. 131. & de sent. & re iudic. gl. 14. q. 19. vbi latè. Immò & ipsum S. Auditorium decisiones cum suis fundamẽtis vtriq; parti exhibet, vt quæ pars se læsam prætendit, contrà fundamenta decisionum rationes suas siuè ex iure, siuè ex facto deducat, & si Patribus illis constet de releuantia eorũ, quæ aduersus decisiones proponuntur, pro summa eorum ingenuitate, & zelo iustitiæ pluries à decisis recedunt, *de quo Lother. in appar. nu. 179. qui etiam lib. 3. q. 29. ex nu. 92. disputat contrà decisionem quamdam Rotæ vij minùs in iure subsistentem.* In quo non immoror enumerando decisiones, in quibus à prioribus recessum fuit ex contrario fundamento iuris, cum hoc sciam in dubium verti non posse ab ijs, qui mediocriter in ijsdem decisionibus perlegendis sunt versati, præsertim cum iuri maximè conueniat ea, quæ ex erroneo fundamento procedunt, nõ obseruari *l. quod non ratione ff. de legibus,* quò circà & S. Congregatio Eminentissimorum D.D. S. Triden. Conc interpretum pluries à responsis Rotalibus recessit vt in sequenti declaratione.

22 Cùm fuisset proposita in Congregatione Cõc.

causa

caußa parochialis Ecclesiæ S. Eusebij nullius diœcesis Prouinciæ Vrbinaten. in qua duo ex concurrentibus æqualiter cum præelecto approbati ab examinatoribus synodalibus, sed ab ordinario postpositi ab irrationabili iudicio eiusdem ad Congregationẽ appellarunt, ipsumq; præelectũ ad nouũ examen prouocarunt, vt per illud possét docere de irrationabili prioris eligentis iudicio. 41

Die 8. Martij 1614. Congregatio, cui interfuerunt Illustrissimi, & Reuerendissimi Cardinales. S. Ceciliæ, Iustinianus, A monte, Spinellus, de Comitibus, Lancellottus, Millinus, & Serra, censuit inhærendum decretis aliàs sæpiùs ab ipsa Congregatione editis, & præsertim in caußis Interamnen. Firmana, Vicentina, Clusina, Pistorien. & Mõtis regalis, quibus probatur congregationem ad solam prouocantis instantiam consueuisse nouum examen decernere absquè eo quòd aliàs constet de ordinarij grauamine atq; ità semper interpretatam fuisse constitutionem Pij V. aduersùs nonnullas Rotæ decisiones.

Quæ omnia non iccircò recensui, quòd velim auctoritati earum decisionum, quas in maxima admiratione habeo, vel minimum detrahere, sed ne quis insanire putet eum, qui aliquam rationem, quam ipse credat efficacem, contrà deci-

siones

siones Rotales proferat, cum ipsimet Patres eiusdem Auditorij Aduocatos fundamenta suarum decisionũ impugnantes nõ solùm admittant, sed etiam benignè audiãt, & si quid releuãs deductũ fuerit à prioribus decisionib⁹ nõ grauatè recedãt. His præmissis vt clarior procedat discursus casum propono.

14 De mense Octobris in Cathedrali Ecclesia Bergomen. Vacauit Canonicatus, & præbenda Congregationis S. Alexandri per obitum Titij. Triduò post obitum Lucius vti Canonicus antiquior optauit portionem bonorũ præbendalium existentem in loco de Treuiolo huius agri Bergomen. in cuius possessione reperiebatur Titius de tẽpore obitus vigore optionis iam dudùm per eum factę occasione cuiusdam vacationis sequutę in mense non reseruato. Post optionem, & possessionem prędij prędicti de Treuiolo captam à Lucio, de Canonicatu, & præbenda prædictis Vacantibus per obitum Titij vnà cum annexis, & pertinentijs suis per Sanctissimum prouisus fuit Mæuius, qui vigore prouisionis huiusmodi prætendebat memoratum prædium de Treuiolo, quod Lucius optauerat. Quæsitum fuit an hoc prædium Meuio esset adiudicandum.

15 Et ex præmissis videtur respondendum negatiuè.

tiuè,

tiuè, eo quòd dispositio Papæ facta de canonicatu, & præbenda Congregat. S. Alexandri tàquàm vacantibus in mense reseruato, non capiat eiusmodi prædium, siuè portionem bonorum præbendalium, siquidem eam non capit tamquàm titulum beneficialem canonicatus, & præbendæ, nàm prædium præbendæ non est titulus præbendæ, vt constat, nequè vt aliquid annexum, quia prædiũ, & si non sit separabile ab omnibus canonicatibus, est tamen separabile à titulo vacante, de quo fit prouisio, ergò nullo modo dispositio Papæ capit dictum prædium, siuè præbendalium bonorum portionem.

16 Ad hoc argumentum, *Rota in Mediolanen. Canonicatus S. Nazarij, Veneris 28. Maij 1638. Respōdit in hac verba.* Ceterũ D.D. inherentes resolutioni aliàs factę in Mediolanen. Canonicatus *4. Julij 1636. coram R.P.D. Ghislerio communiter resoluerunt præbendas scilicet esse spiritnales eo præcipuè moti fundamento, quòd ad hoc vt præbenda dicatur merè temporalis nec cadat sub reseruatione, non sufficit simplex separabilitas ab hoc vel illo Canonicatu, sed requiritur, quòd sit separabilis ab omni Canonicatu adeò vt de per se stare posit absquè titulo Canoniæ, vt in specie tenent Abb. in c. maioribus nu. 4. vers. quandoq. & in cap.*

cap. dilecto nu. 6. vers. procedit enim de praeb. & alias dixit Rota coram Caputaquen. decis. 356. nu. 1. par. 2. Cassad. decis. 17. nu. 9. de praeb. & firmatur in dicta decis. Mediolanen. coram R. P. D. Ghislerio.

17 Verùm neq; responsio meo iudicio, & salua semper humillima reuerentia, quam profiteor ergà supremum illud Auditorium, argumento satisfacit, neque auctoritates allegatæ procedunt in casu, & ad effectum de quo agitur. Nam licet prædium, seù portio, de qua nunc agitur sit spiritualitati annexa cùm stare non possit sinè titulo spirituali, & exindè etiàm denominetur spiritualis, non tamen indè sequitur quòd cadat sub reseruatione *sequẽdo in hoc doctrinam Card. cons. 126. citato, quam non habere contradicentem dixit Rota in salamantina Portionis relata per Garz. 5. par. cap. 1. nu. 336.* si quidem ibi Card nu. 3. vers. secundò idem ostenditur, ait quòd præsupposita etiam reseruatione beneficij, non sequitur, quòd prębenda, prout dicit temporalitatem, idest prędia, vel redditus, sit reseruata quia ista temporalitas non est propriè præbenda, nàm prębenda est ius spirituale *cap. dilecto de præb.* & in hoc sensu solùm dicitur prębenda spiritualis esse reserta prout .s. consistit in iure spirituali, neque in

toto

toto eo consilio, si attentè legatur, nominatur præbenda spiritualis, aut reseruata dicitur portio reddituum, siuè prædium, quòd est annexum spiritualitati, sed nominatur præbenda spiritualis ea, quæ consistit in titulo beneficij, eo quòd sit annexa iuri Canoniæ. Quo circà responsio Rotæ assumit pro fundamento decisionis, id quòd est in cõtrouersia nempè An portiones præbendalium bonorum quæ consistunt in prædijs, & redditibus, quas portiones decisio vocat præbẽdas, cùm sunt separabiles ab hoc, & illo Canonicatu licet non ab omnibus Canonicatibus in genere, compræhendantur in reseruatione, siuè denominẽtur spirituales, siuè merè temporales, quia non est quæstio de nomine, sed de re, vt superiùs dixi, & infrà etiam clariùs constabit.

Neq; verò auctoritates allegatæ probant eas portiones cõpræhendi sub reseruatione, siquidem Abb. loco per Rotam allegato postquàm proposuisset difficultatem *ex cap. M. de constit. vbi gl. in verb. receperunt*, dicit laicum posse esse præbendatum, sed non Canonicum, cum tamen ex alia parte præbenda sit ius spirituale *c. dilecto de præb.* soluit difficultatem, & dicit, quòd quandò præbendæ non sunt distinctæ, vel etiam si sunt distinctæ non sunt tamen annexæ Canonicatibus, præben-

Cum.

da est quid merè temporale, & talis præbenda potest dari etiam laico; quandò verò prabendæ sunt distinctæ, vt quia certus est numerus Canonicorum, & præbendarum, & quælibet præbenda inhęret suo Canonicatui, (quod certè non verificatur in Casu nostro) hoc casu intellige, inquit Abb, dictum cap. dilecto, & dictum Innoc. hic, nàm ratione connexitatis præbenda dicitus Ius spirituale, quià habetur respectus non solùm ad temporalitatem, sed ad ius Canonicum connexũ, quòd est spirituale, & hęc talis præbenda non potest conferri laico, *& in cap. dilecto n. 6.* inquit: Nota quintò quià præbenda dicitur ius spirituale, & subdit id procedere, quandò præbenda est annexa cum iure Canoniæ, tunc enim, inquit, præbenda partim consistit in temporalitate, partim in spiritualitate respectu Canoniæ. Hæc Abb. ex quibus apertè colligitur nihil aliud in præcitatis locis fuisse de mente Abbatis, nisi cónstituere differentiam inter præbendam annexam Canoniæ, cuius capax non est laicus, & eam, quæ potest conferri etiàm laico, quàm iccircò vocat merè temporalem, neq; ideò sequitur, quod temporalitas annexa Canonię licet à laico non possit obtineri, nequeat tamen obtineri à Canonico si vacet in mense reseruato, & optetur non mutato titulo,

titulo,quia de reſeruatione nullum prorſus habetur verbum in eo diſcurſu Abbatis. Quòd autèm D.D. nomen prębendæ temporalis;ſeu etiàm merè temporalis vſurpent pro temporalitate ipſa,etiàm ſi annexa ſit iuri Canoniæ in genere, cùm ex alia parte Abbas nomine præbendæ temporalis illam intelligat, quæ non eſt annexa iuri Canoniæ, cuiuſq; capax eſt etiàm laicus, non eſt repræhendendum, intendunt enim dicere *cùm Cardin. citat. conſ.* 126. quòd quandò ſola temporalitas prębendę optatur ſinè mutatione tituli tunc non obſtat reſeruatio, nomenq; prębendę merè temporalis non vſurpant in eo ſenſu,in quo illud vſurpat Abbas, ſcilicet pro prębenda cuius capax eſt laicus,ſed in alio ſenſu videlicet pro ſola temporalitate præbendæ Canonicalis,vt patet ex præinſertis reſponſis Maſsumbruni,& Merendæ, quò circà non ſunt gratis cauillanda verba, nec decet ſyllabas aucupari, ſed qua mente quid dicatur oportet in verbis animaduertere *l.penult.ff. ad exhibendum l.ſcire leges ff. de legib. per quæ iura idem animaduertit Rota in Papien.beneficij* 10. *Aprilis* 1617. *coram Andrea.* non igitur procedit quòd dicitur ad hoc vt præbenda dicatur merè temporalis oportere,vt ſtare poſſit de per ſe abſquè titulo Canoniæ,quià ſumendo nomen

F 2 pre-

prębendæ abusiuè,& impropriè, etiàm temporalitas quæ stare non potest sinè aliquo titulo Canoniæ si optetur absq; mutatione tituli potest dici adhunc effectum præbenda merè temporalis, quàm abusiuam locutionem etiàm à iurisperitis quandoq; vsurpari tradit Rota in eadem Papien. benef. vers. quamuis igitur.

29 Minus obstat *decisio* 356. *Caputaq*. quę sic hababet: *Præbenda annexa rei spirituali vt putà Canonicatui spiritualis dicitur cap. dilecto de præb.* vbi certè per prębendam idem intelligit, quòd significatur *in cap. dilecto* cùm doctoris dictum intelligendũ sit secundùm iura quæ allegat *Bart. in l. non solùm §. liberationis nu.* 10. *ff. de libert. leg. Menoch. de præs. lib.* 1. *q.* 73. *nu.* 4. *Coccin. inter eius impressas decis.* 291. *nu.* 6. in cap. autem dilecto per prębendam intelligitur ius spirituale, vt signanter notauit *Cardin. eo cons.* 126. *num.* 4. Istud autèm ius non est prædium, siuè illa portio bonorum quæ optatur, sed titulus præbendalis, qui minimè optatur, cùm optans remaneat cùm eodem titulo, quem antè optionem habebat, vt ostensum est in pręmissis: vnde non applicatur ad statum huius controuersiæ decisio allegata, quià per præbendam spiritualem prout ibi contrà distinguitur à temporali, siuè seculari, vt lo-

quitur ea decisio, planè intelligit titulum beneficialem prębendæ, non autèm prædium, siuè portionem bonorum, de qua loquimur.

Neq; verò aliud habet decisio Cassad. 17. de pręb. immò ibi nu. 2. 3. & 4. expressè sequitur Card. cit. cons. 126. eiusdemq; verbis vtitur, & nu. 4. refert dictum Abb. in c. dilecto, & in c. maioribus eodem tit. quod vt suprà visum est non aliò tendit, quàm ad statuendam differentiam inter præbendam, quæ potest conferri laico, & eam, quæ non potest, ex quibus apertè colligitur neq; hanc decisionē magis potuisse allegari contrà nos, quā cons. Card. aut Abbatis autoritatem.

Tandem quia ex aduerso allegatur *decisio Hipporegiens. præbende 23. Januarij 1608.* quam Lother. in suo responso nu. 10. dicit esse in terminis terminantibus Aduerto, illam præbendam, de qua in ea decisione, nuncupatam fuisse præbendam omnium sanctorum, quam denominationem obseruauit Rota in pręallegata Bergom. pensionis nu. vltimo ad constituendum discrimen inter præbendas, quæ habent certum titulum, & denominationem, & præbendas nostræ Ecclesiæ: sic enim habet ea decisio *neq; applicatur decisio in causa Veronen. pensionis 14. Maij 1627. coram R. P. D. Pirouano, quia casus ille est longè diuersus*

ſus dum præbendæ tanquàm habentes certùm titulum, & denominationem præſumebantur ſpirituales, & tituli beneficiales, quæ ceſſant in caſu noſtro; deindè non conſtat prædia, & redditus illius prębendæ, de qua in dicta Hypporegien. potuiſſe optari abſq; mutatione tituli, prout fit in optionibus noſtræ Eccleſiæ. Demum eadem deciſio procedit ex eodem prępuppoſito, quod.ſ.nequeat optari temporalitas alicuius præbendæ in menſe reſeruato, etiàm ſi forſan temporalitas ſit illi præbẽdæ annexa ad tempus, & reuocabiliter; vnde à ſimili deciſione planè receſſit *Garz. par. 5. c. 1. §. 10. nu. 458.* vbi in additionibus ſic habet, *& quod vacantibus Canonicatibus in menſe reſeruato non fiant optiones domorum illis annexarum fuit dictum in illa Lucana optionis Domus 24. Ianuarij 1607. coram Domino Manzanedo, & 13. Martij 1609. vbi dicitur intelligi etiàm ſi non ſint perpetuò; & inſeparabiliter annexæ, ſed malè, & idem repetit par. 5. c. 4. in addit. ad numerum 131.*

22 His ità expoſitis pro ſolutione eorum, quæ allegantur in præcitata Mediol. S. Nazarij redeo ad noſtri argumenti confirmationem pro quo facit quod tradit *Calder. conſ. 3. nu. 2. de conſuet.* Vbi reſpondens ad obiectum illud, quod inferior non

poteſt

potest se intromittere de ijs, quæ superior sibi reseruauit, dicit illud procedere cùm inferior se intromittit, ità ut gratia superioris pereat, & post pauca subdit hæc verba: *sed talis optatio non præiudicat reseruationi Papæ, quia reseruatio Papæ concernit solùm tituli collationem faciendam per Papam* hæc ibi; quibus consonat, quod idem *Calder. habet conf. 13. nu. 1. in fine.* Vbi quòd effectus reseruationis est quòd per Papam tantùm illud beneficium conferatur, sic etiàm dicitur valere vnionem factam ab Episcopo in casibus permissis de beneficio reseruato, si non impediat Papæ collationem *Gonzal. gl. 5. §. 7. nu. 136.* quia reseruatio non impedit vnionem, si vnio non impediat collationem, cùm beneficium possit esse eodem tempore & collatum sine præiudicio vnionis, & vnitum, sinè præiudicio collationis *Lother. lib. 1. q. 30. nu. 41.*

Quòd si dicant aduersarij, eam portionem bonorum compræhendi in dispositione Canonicatus, & præbendæ tamquàm illis annexam licet nō perpetuò, & irreuocabiliter *Rota in corduben. Coad. 27. Nouembris 1619. coram Dunozetto,* & eiusmodi portionem esse saltem de pertinentijs Canonicatus, ex quo defunctus canonicus decessit in eius possessione tamquàm Canonicus, licet

non

non haberet annexionem, & incorporationem *Greg. XV. decis.* 478. & tandem ad reseruationem portionis, de qua agitur, sufficere si sit annexa Canonicatibus in genere *vt in cit. Mediolanen. Canonicatus S. Nazarij 4. Maij. 1638.*

24 Respondetur, decisionem Corduben. Coadiutoriæ procedere ex fundamento alteriùs decisionis *in Hypporegien. Præbendæ, & Caputaq. decis.* 356. quibus supra satis responsum est nu: 19, & 21. Altera verò decisio Greg. XV. limitatur per Beltram. ibi in addit. vt non procedat, quando domus Canonicales, & similia membra non sunt annexa perpetuò, & inseparabiliter Canonicatui vacanti, vbi notandum quòd non dicit, quando non sunt annexa perpetuò, & inseparabiliter Canonicatibus in genere, sed Canonicatui vacanti, quippe Canonicatus in genere non vacant, sed hic, & ille indiuiduò, vt ostensum est in præmissis. eodem modo *Gonzal. gl. 14. num. 33. & 34.* expressè dicit non intrare reseruationem quo ad cameram aut prędium, cum non sunt annexa perpetuò canonicatui vacanti, *& Rota in Vercellen. Canonicatus 1. Februarij 1616. coram Rambaldo* excludit annexionem, & ex consequenti etiàm reseruationem eiusmodi membrorũ ex eo, quòd optantur absque mutatione tituli.

25 Quo

Quò loci antèquam hinc digredior, satis mirari non possum cur aliqui ex nostris, qui optantibus in mense reseruato non solùm contradicunt, sed etiam indignantur, optiones domorum canonicalium admittant, & faciant in mense reseruato. Domus siquidem istæ sunt, & dicuntur Canonicales, quia nullus earum est capax præter canonicos, qua ratione etiam præbenda dicitur canonicalis eo solùm, quia alio titulo obtineri nõ potest, quàm titulo canoniæ *vt Lother. in suo responso nu.* 8. ex quo etiàm sequitur domos ipsas canonicales nõ minus quàm prædia, & portiones bonorum præbẽdalium esse annexas spiritualitati, id est canonicatibus in genere, vndè si prædia propter hanc annexionem compræhenduntur sub reseruatione, nulla potest assignari diuersitatis ratio cur non idem dicendum sit de domibus canonicalibus, si verò quis velit optari posse domos Canonicales, quia vigeat consuetudo illas optandi, etiàm si vacent in mense reseruato, aut quià derogatio iuris optandi respiciat solum præbendas, non domos: certè neutrum ex his assumptis de iure admitti potest: non primùm, quià in regula derogatur omnibus consuetudinibus etiàm immemorabilibus: non secundùm, quià in regula nomine præbendæ non intelligitur temporalitas

præbendæ, sed beneficium præbendale, quod apud nos non optatur. Patet autem in regula per nomen præbendæ intelligi beneficium; nam verba illius sic habent: *Ac consuetudines etiam immemorabiles optãdi maiores, & pinguiores præbendas, nec non priuilegia, & indulta Apostolica circà ea, ac etiam disponendi de huiusmodi beneficijs &c.* vbi dictio, huiusmodi beneficijs, repetit, & est relatiua ad præcedentia, scilicet ad præbendas *cap. 1. & cap. fin. de foro comp. 6. & c. nemo deinceps vbi gl. in ver. huiusmodi de elect. 6. Nauarr. c. cũ contingat de rescr. remed. 6. n. 5. Gonzal. gl. 40. nu. 4.* quò circà Rota in dicta Canonicatus S. Nazarij non se fundat in verbis aut in derogationibus regulæ, cùm in casu eiusmodi optionis non optetur pinguior præbenda, sed solùm ipsa maior pinguedo præbendæ, sed se fundat in annexione portionum, & prædiorum præbendalium ad spiritualitatem, eò quòd, Canonicatibus in genere sint annexæ.

26 Redeundo nùnc ad propositum quatenus exaduersò fuit obiectum portiones huiusmodi esse de annexis, & pertinentijs Canonicatus vacantis, eò quòd Canonicus defunctus decessit in possessione illius portionis; Respondetur ex eò quòd Canonicus defunctus decessit in possessione ali-

alicuius prædij, vel portionis non ſequi, quòd illud prædium ſit de annexis, & ità cenſuit apertè *Rota in Vercellen. Canon. 4. Maij 1615. coràm Ramboldo in hæc verba n. vlt. nec facit, quod Dominicus dicitur obijſſe in poſſeſsione dicti ordinis, & membri, quia non indè ſequitur, quòd dictus ordo, & membrum ſint Canonicatui annexa, & fuit dictum in allegata Vercellen. 4. Maij 1598. coram bon.m. Penia,* Immò illa clauſula cũ annexis, & pertinentijs ſuis debet intelligi de annexis in propria, & ſtricta ſignificatione, cùm verba reſcripti in beneficialibus ſic debeant intelligi tex. eſt expreſsus *in cap. quamuis pleniſsima de reſcr. 6. & magis preſsè, quàm in reſcriptis ad lites Butr. in cap. cùm olim de verb. ſign. in fine,* id quòd præſertim locum habet cùm ex laxiori ſignificatione ſequitur pręiudicium tertij *Seraph. deciſ. 892. n. 2.* prout in caſu ſequeretur præiudicium Canonici antiquioris, ad quem ſpectat optio ſi annexum accipiamus in minùs propria, & ſtricta ſignificatione, ſcilicet pro annexo ad tempus, & reuocabiliter; vnde ex præmiſſis debet intelligi annexũ pro eo, quod nũquàm diuellitur ab eo titulo, cui eſt annexum, quæ eſt proprià connexi acceptio vt notaui nu. 7. quòd ſi aduerſarij contendãt annexa dici etiàm ea in reſcriptis beneficialibus, quę

sunt annexa titulo licet reuocabiliter, & ad tempus modò sint annexa Canonicatibus in genere, præterquàm quod ea interpretatio in beneficiabus est contrà regulas iuris tamquàm impropria, nihilominus Respondetur clausulam illam, cùm annexis, & pertinentijs suis resolui in conditionalem, scilicet, si ea, quæ prætenduntur annexa verè sint annexa, & quæ prętenduntur esse de pertinentijs verè pertineat *Barbos. de apell. verb. vtriusq; Iuris sign. appell. 200. nu. 10. cùm ibi allegatis, Grat. discept. forens. c. 657. n. 22.* tamquàm ea verba sint suppositiua, quæ nihil operantur in eo quod supponunt, & resoluuntur vt dixi, in cōditionalem, scilicet si quæ sint annexa, vel de pertinētijs Canonicatus de quo fit prouisio *Clem. 1. vbi glo. in ver. si dignitatibus de præb. & facit quod scribit Bertaz. in tr. de clauf. clauf. 26. glo. 13. vers. sciendum tamen, quòd non præsumitur aliquid esse de pertinentijs nisi probetur.* Non potest autèm probari temporalitatem præbendæ esse de propriè annexis, & pertinentijs canonicatus vacantis, quià constat ex consuetudine nostræ Ecclesiæ, ipsam temporalitatem, siuè prædium vacans pertinere ad Canonicum antiquiorem, neq; respectu huius temporalitatis intrat derogatio regulæ de mensibus; sed solùm respectu beneficij,

ſeu tituli beneficialis, vt oſtenſum eſt ſupr. nu. 25.
Quòd ſi in prouiſionibus, quæ fiunt per Papam de Canonicatibus vacantibus, annexorum nomine intelligi non poſsunt niſi ea, quæ ſunt annexa ſtrictè, & propriè videlicet perpetuò, & inſeparabiliter Canonicatui vacanti, ſequitur ea etiàm ſolùm cōpræhendi in reſeruatione, idque propter correſpectiuitatem prouiſionis, & reſeruationis, quæ deducitur ex ijs verbis reſcripti; *Cùm itaq; poſt modum Canonicatus, & præbenda Congregationis S. Alexandri Cathedralis Eccleſiæ Bergomi per obitum Titij vacauerit, & vacet ad præſens, nulluſq; de ijs præter nos hac vice diſponere potuerit, ſiue poſsit reſeruatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis*, & deindè ſequitur diſpoſitio Canonicatus vacātis; correſpectiuitas enim prædicta id operari debet, vt nihil ampliùs contineatur in reſeruatione, quàm id, de quo occurente caſu vacationis, diſponit Papa in prouiſione, ideò enim Papa reſeruat, vt prouideat, & ſi quid caderet ſub reſeruationem, quod numquàm prouiſionibus compræhenderetur, iam inutilis eſſet reſeruatio tamquàm fruſtra expectatur euentus, cuius nullus ſperatur effectus *arg. cap. cùm contin. gat de off. deleg.* Itàque ſi vt ſuprà oſtenſum eſt in prouiſionibus non veniunt annexa ad tempus, &
reuo-

reuocabiliter, quæ non sunt propriè annexa, neque annexa Canonicatibus in genere, cum Papa disponat solùm de annexis Canonicatui vacanti vt patet ex ijs verbis rescripti : *quorum Canonicatus, & Prabendæ & illi forsitan annexorum fructus &c.* manifestè sequitur, quòd numquàm intendit Papa reseruare annexa canonicatibus in genere, cùm numquàm de ijs disponat, sed tantùm de annexis canonicatibus in indiuiduo de quibus prouidet.

18 Addo in prouisionibus, quæ fiunt in mense non reseruato semper apponi clausulam, *cùm annexis iuribus & pertinentijs suis*, & tamē respectū prędij, & temporalitatis sine vlla difficultate habet locum optio in mense capitulari, ex quo sequitur necessariò, illam temporalitatem non claudi sub nomine annexorum, & pertinentiarum, ni si sub illa conditione quatenus ad alios non pertineant iure optionis, prout in illa clausula *cùm annexis, & connexis* contineri eam cōditionem quatenus alijs non sint concessa *post Jmol. cons. 140. nu. 5. uers. nec obstant, notat Tusc. litt. C. conclus. 323.* Vndè si respectū vnius Canonicatus cùm vacat in mense ordinario temporalitas ipsa non venit sub nomine annexorum, & pertinentiarum, neq; veniet sub eodem nomine si vacet in mense re-

serua-

seruato, cùm eadem res respectu eiusdem non debeat diuerso iure censeri *l. eum qui ades ff. de vsucap.* præsertim ob solam temporis diuersitatem *cap. quia circa in fine de priuil.*

29 Tandem ex alio etiàm capite apertè conuinci videtur, separabilitatem illam, quam habent portiones præbendales à singulis titulis præbendalibus, licet non ab omnibus, sufficere ad excludendam reseruationem, quià cùm propter separabilitatem à singulis canonicatibus portiones huiusmodi reputentur tàmquàm aliquid merè temporale ad effectum iuris optandi, licet re ipsa cohęreant cùm iure Canoniæ in vniuersum sumpto, vt expressè concedit *Lother lib. 1. q. 19. nu. 27.* eadem separabilitas sufficiet ad excludendum reseruationem. Nàm cùm separabilitas illa à singulis titulis, licet non ab omnibus, efficiat vt prædium, & portio præbendalis, licet re ipsa non possit separari à iure Canoniæ, reputetur aliquid merè temporale, implicat in terminis quòd consideretur prout connexa cùm spiritualitate videlicet cùm iure Canoniæ, ex quo illa dictio, *merè* denotat puritatem *gl. in ver. prætorio instit. de diuis. stipul.* adeò vt excludat omnem aduersæ qualitatis mixturam, & annexionem, vt in terminis de bonis merè temporalibus dixit *Rota coram*

Barat-

Buratto decis. inter eius impressas 193. *nu:* 16. vndè sicut per aduersarios vnica, & adęquata ratio cur prædium præbendale cadat sub reseruationem est cõnexio cùm spiritualitate, ideſt cùm iure Canonię in vniuersum, & cùm omnibus Canonicatibus in genere, ità abstractio, & præcisio ab omni spiritualitate, sub qua ad effectum iuris optandi consideratur ipsummet prædium tamquàm fictione iuris reputetur aliquid merè temporale, operabitur, vt idem prædium non cadat sub reseruationem vt idem operetur oppositum in opposito, quod propositum, in proposito *l. fin.* §. *quem si comperta C. de sent. passis*, ad quam regulam complures alias leges, & DD. cumulat *Barbos. in tract. iuris Axiom. vsu freq. Axiomate* 71.

30 Ex quibus non video quomodò cohærere possint quæ scripsit *Lother. in præinserto respon. n.* 11. cum ijs quæ habet *Cardin. sepe cit. cons.* 126. scribit siquidem Lother. distinctionē inter annexionem perpetuam singulorum prædiorum cùm singulis Canonicatibus, & annexionem non perpetuam, & reuocabilem, qualis est illa, de qua in casu nostro, considerari solùm ad vnum finem respectù iuris optandi, videlicet vt in priori exigatur auctoritas habentis conferre iuxta doctri-

nam

nam *Cardin. eodem conſ.* 126. In poſteriori non item, & nihilominus hanc annexionẽ, non perpetuam non ſufficere ad excludendam reſeruationem, quià illud annexum perpetuo hęret iuri Canoniæ. Non, inquàm, video, vt ingenij mei fatear imbecillitatem, qua ratione ad mentem Cardin. dicere potuerit reſeruationem obſiſtere optioni, cum in ea nullus mutatur titulus, prout nõ mutatur quandò prædium eſt annexum canonicatui annexione non perpetua, & reuocabili; nam ſi fideliter, & ingenuè, vt decet, proponenda eſt mens, & diſcurſus *Cardin. eo conſ.* præſupponit ipſe primum, quòd conſuetudo optandi præbendas nõ intelligitur de præbendis propriè ſumptis prout præbenda eſt ius ſpirituale, ſed intelligitur impropriè prout præbenda eſt temporalitas ipſa, ideſt prædia, vel redditus, idq; probat quià ſi antiquior Canonicus optaret ius ſpirituale ſinè noua inſtitutione ſequeretur quòd ſibi ipſi conferret titulum, quòd eſt contrà Canones. Hoc autèm præſuppoſito ad punctum quæſtionis reſpondet per verba illa, quæ etiam notaui ſuperiùs nu. 8. quod ex quo in optione permutantur ſolùm prędia, non beneficium, id fieri poteſt non obſtante reſeruatione.

31 Itaq; vt vno verbo dicam, si verbis regulæ de mensibus inherendum est,& cons.Card.allegato, quod vt notaui supra nu. 17. nullum habet contradicentem, nihil aliud prorsus cadit sub reseruationem illius regulæ nisi beneficium ipsum, nempè titulus beneficialis vacans in aliquo ex mensibus reseruatis, vel illud, quod sinè noua institutione, seù collatione, vel mutatione ipsius Tituli obtineri non potest.

32 Reliquum est, vt ad duo obiecta Respondeatur, in quibus nō nulli magnam vim facere videntur. Et primò obijciunt non vsum optandi in mensibus reseruatis, quem probant per quādam assertionem capituli Generalis nostræ Ecclesiæ de anno 1596. quem non vsum dicunt vim habere observantiæ interpretatiuę quæ attendi debet, etiàm si intellectus verborum statuti, aut legis interpræ tatæ esset malus, & de iure non tenendus *Mant. de coniecturis vlt. Vol. lib. 11. tit. 18. n. 36. & alij, quos citat. Beltram. ad decis. Greg. XV. 184. nu. 8.* vbi præsertim circà interpræ tationem Regularum Cancellariç allegata *decis. 608. in recent. par. 2*; in qua de interpretatione regulæ nostræ 8. hodie 9. circà alternatiuam Episcoporum. Et obseruantiam etiam negatiuam deseruire pro interpretatione statuti *post Castr. cons. 83. lib. 2.*

dixit

dixit Tusc. litt. C. concl. 802. nu. 15. eo maximè, quia ista obseruantia implicat actū affirmatiuum cōtrariū, videlicet quod prouisi de Canonicatib⁹ vacātib⁹ per obitū in mense reseruato obtinuerūt etiàm portiones bonorum,& prædium prębendę quod defunctus Canonicus possidebat, quo casu non vsus sufficit ad inducendam obseruantiam interpretatiuam *Alex. cons. 196. nu. 15. lib. 2. Greg. XV. decis. 269. nu. 5.* & in specie de non vsu optandi, quòd tollat contrariam consuetudinem cùm habet implicitum actum contrarium tradit *Monet. de opt. c. 8. nu. 22.* Vndè, & multò magis potest interpretari statutum, cùm multo faciliùs admittatur obseruantia interpretatiua, quæ cōsistit in facto,& est fauorabilior neq; indiget quòd sit præscripta *Rota decis. 136. nu. 6. 419. num. 6. 448. nu. 3. par. 1. in recent.* quàm consuetudo iuris inductiua, *Grat. discep. for. c. 665. nu. 32.*

53 Sed Respondetur primò ex illa asertione capituli sufficienter non probari non vsum, nisi pro tempore, quo ipsi asserentes interfuerunt capitulis, cùm aliqui canonicatus vacarunt in mense reseruato, quæ obseruantia tamquàm nimis remota à tempore ordinationis statuti 1357. non suffragatur; præsertim non concurrente aliquo alio adminiculo Greg. XV. decis. ...

Beltram. nu. 26. & decis. 482. nu. 10. par. 1. in recent. Secundò constat de contraria obseruantia, post annum 1630. Vndè in concursu duplicis obseruantię cessat argumentum ab alterutra deductum, & recurrendum est ad ius, vt videatur vtra illarum sit iuri conformior *Abb. c. auditis nu. 15. de præscript. & alij, quos citat, & sequitur, Rota coram Buratto decis. inter eius impressas 336. nu. 6.* vbi etiàm, quòd obseruantia difformis non valet pro interpretatione statuti: Tertiò Respondetur, obseruantiam interpretatiuam non habere locum præterquàm in dubijs *Greg. XV. decis. 126. nu. 3.* & in sexcentis alijs decisionibus firmauit Rota, ex quibus non nullas congerit *Beltram. ad decis. 184. nu. 8.* Dubium autem esse non potest, quin statutum admittat optionem etiàm in mense reseruato, vt mox subijciam. Tandem iste non vsus ex aduersò prętensus, vel adhibetur ad interpretationem statuti nostrę Ecclesię, vel ad interpretationẽ regulæ de mensibus: si ad interpretationem statuti, certùm est, quod assertus non vsus deseruire non potest pro obseruantia interpratatiua statuti, cùm illius dispositionem restringat: statutum siquidem sic habet: *statuerunt, & ordinauerunt, quòd quandocumq; & qualitercunque, excepta permutationis causa prabendam aliquam*

vacare

vacare contigerit &c. vt in actis huius Eccleſiæ die 28. Octobris 1357. obſeruantia verò, in qua aliquid effectuatur vltrà, vel contrà diſpoſitionem ſtatuti non eſt interpretatiua, ſed vel reſtrictiua, vel extenſiua ſtatuti *deciſ.* 136. *nu.* 10. *&* 196. *nu.* 7. *par.* 1. *in recent.* Cõſtat autèm eiuſmodi obſeruantiam eſſe reſtrictiuam, quià cùm particula, quandòcumque, appoſita in ſtatuto comprȩhendat omne tempus *Alber. l. de quibus ſub nu.* 176. *ff. de leg. Tuſc. litt. D. concl.* 349. *Burat. deciſ.* 863. *nu.* 10. iſte non vſus reſtringit ſtatutum ad menſes ordinarios.

34 Si autèm hic non vſus adhiberetur ad interpretationem regulæ, res eſſet admodum ridicula, *vt inquit Lother lib.* 2. *q.* 41. *nu.* 41. cùm recta interpretatio Regularum Cancellariȩ petenda non ſit à placitis externorum, quod ſi ex aduersò dicatur etiàm obſeruantiam Romani Palatij & Curiæ eam eſſe, vt optio non habeat locum in his prædijs, & portionibus præbendalibus cùm vacatio contingit in menſe reſeruato. Reſpondetur obſeruantiam interpretatiuam etiàm Palatij Apoſtolici locum non habere, niſi quatenus

ſignificationem, vt de prædijs, & portionibus præbendalibus intelligantur, itàut cùm habeamus certam vocabuli ſignificationem declaratio locum habere non poſſit *Dec. conſ. 51. nu. 3. & alij quos allegat Grat. diſcept. for. c. 560. nu. 18.* deindè reſpondetur eamdem obſeruantiam Palatij Apoſtolici vim habere ſolùm quamdiù verior intellectus regulæ interpretatæ non aperitur, vt colligitur ex contextu *illius deciſ.* 608; & certè ſi in obſeruantia huiuſmodi deſumpta ex iudicijs S. Rom. Rotæ tanta vis facienda eſset, vix fuiſset locus diſputationi, & deciſionibus ſuperindè de anno 1638. emanatis, nec Rota eiuſmodi argumentum ab obſeruantia deductum prætermiſiſset.

35 Quòd autèm obijcitur *ex Moneta de opt. cap. 8. nu. 22.* per eumdem limitatur *num. 25.* vt contrarius vſus obſeruatus fuerit tanto tempore, quantum requiritur ad inducendam conſuetudinem contrà ius, quæ requirit ſpatium quadraginta annorum, in quo numquàm fuerit interrupta conſuetudo *vt ibid. nu.* 31. eiuſmodi autèm non vſum quadraginta annorum numquàm interruptum certè aduerſarij in Eccleſia noſtra probare non poſsent, & adhùc ſi probaretur tàmquàm ex errore profectus non poſset præiuditium ſtatutis

inferre *Seraph. decis.* 497. Vbi in simili, quòd non vsus Canonicorum ex errore etiàm probabili profectus eorum statutis non præiudicat: quòd verò hic asertus non vsus, quatenus probaretur cùm debitis qualitatibus, fuerit ex errore causatus, patet ex iam allegatis.

36 Secundò obijciunt litteras Apostolicas in forma Breuis directas huic nostro Capitulo per sanctæ Mem. Greg. XIII. tenoris sequentis.

Gregorius Papa XIII. Dilecti filij salutem, & Apostolicam benedictionem. Licet per constitutionem nostram die 26. mensis Iunij Pontificatus nostri anno primo in Cancellaria Apostolica publicatam omnia beneficia Ecclesiastica in singulis Ianuarij, Februarij, Aprilis, Maij, Iulij, Augusti, Octobris, & Nouembris, mensibus vsq; ad certum tempus tunc expressum extrà Rom. Curiam aliàs, quàm per resignationem quocumque modo vacatura ad quorumuis; non tamen. S.R.E. Cardinaliũ collationẽ, prouisionem, præsentationẽ, electionẽ, & quamuis aliã dispositionem, spectantia, dispositioni nostræ reseruauerimus, ità quod priuilegia, & indulta disponendi de beneficiis huius

dinis, & conditionis existentibus, non tamen, vt præfertur, Cardinalatus honore fulgentibus quomodolibet concessa aduersus reseruationem huiusmodi nullatenus suffragarentur. Nihilominus vos nulla facultate saltē subsistēte suffulti, aut aliàs, quo spiritu ducti nescitur, Canonicatus, & Præbendas, dignitates, Personatus, administrationes, & officia, aliaq; beneficia Ecclesiastica in dicta vestra Ecclesia Bergomen. existentia per obitū in mensibus per dictam constitutionem reseruatis vacantia tamquàm ad vestrā collationem spectantia cùm modica, vel potius nulla dictæ nostræ constitutionis reuerentia, personis vobis benè visis conferre, ac de illis etiàm prouidere non cessatis in animarum vestrarum perniciem, ac sedis Apostolicæ contemptum non modicum. Jccircò nos considerantes rem huiusmodi, à cæteris vestris, vt potè pijs, & honestis actionibus prorsus dissimilem esse. Vobis in virtute Sanctæ obedientiæ ac sub excōmunicationis alijsque ecclesiasticis sententijs, censuris, ac decem millium Ducatorum Cameræ nostræ Apostolicæ applicandorum, nec non Canonicatuum, & Præbendarum, aliorumq; quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum per vos, & vestrum quemlibet obtentorum, ac vestræ prætensæ collationis, siuè electionis in alijs quattuor mensibus ordinarijs, priua-

tionis,

tionis, & inhabilitatis ad illa, vel alia imposterum obtinenda pœnis per vos, nisi parueritis, eò ipso absq; aliqua monitione, seù declaratione incurrendis districtè præcipiendo per præsentes committimus, & mandamus, ne de cætero adueniente vacatione Canonicatuum, & Præbendarum, dignitatuum, Personatuum, Administrationum, vel officiorum, & aliorum quorũcumque beneficiorum Ecclesiasticorum in dicta vestra Ecclesia Bergomen. consistentium in eisdem octo, videlicet Ianuarij, Februarij, Aprilis, Maij, Iulij, Augusti, Octobris, & Nouembris mensibus nobis per dictam Constitutionem reseruatis, illa vllo modo, aut quouis prætextu, seù quæsito colore alicui, seù aliquibus personis conferre, seù de illis prouidere, aut aliquam personam in eis eligere, vel nominare audeatis, seù præsumatis, aut aliquis vestrum audeat, seù præsumat, decernentes ex nùnc quascumq; collationes, prouisiones, electiones, aut alias dispositiones de dictis Canonicatibus, & Præbendis alijsq; beneficijs in mensibus prædictis vacantibus, seù vacaturis per vos fiendas nullius prorsus esse roboris, vel momen-

ruptela dicẽda est, statutisq́; vestris forsan contrariũ disponentibus, & alijs quibuscumq́; in contrarium facientibus, quibus omnibus tenore præsentium expresse derogamus. Datum Romæ apud S. Marcum sub Anulo Piscatoris die 17. Septembris 1572.

37 Verùm ex contextu præinsertarum litterarum satis patet, eas emanasse pro obseruantia, & in executionem regulæ de mensibus, & sic non ampliant regulam, cum dispositio facta pro executione alteriùs dispositionis ipsam non augeat, *clem. 1. vbi DD. communiter de præb. & alios in simili de clausulis executiuis cumulat Maria tr. de clauf. par. 2. clauf. 20.* cùm igitur regula de mensibus ex præmissis loquatur tantùm de beneficijs, & titulis beneficialibus, Breue præinsertum non extendit regulam ad, ea quæ non sunt tituli beneficiales. Immò ex verbis illius Breuis duo eliciuntur: Primò nihil aliud prohiberi nisi collationem, prouisionem, electionem, aut nominationem personæ ad Canonicatus, & Præbendas, patet autem, cùm fiunt optiones, nullam fieri collationem, aut electionem alicuius personę: Secundò elicitur ibi sermonem esse tantùm de beneficijs proter ea verba, *& aliorum quorumcumq́; beneficiorum*, quæ verba, vt superiùs notaui, *Card. eo conf. 126.* ad hunc effectum pon-

ponderauit. Vnde potiùs ex hoc Breui arguitur, mentem Papæ in regula de menſibus non ſe, extendere ad prædia præbendalia, de quibus agitur, cùm ſint quid diſtinctum à titulis beneficialibus, & ſinè noua acquiſitione, aut collatione alicuius tituli ab antiquioribus optentur.

38 Quæ omnia nihilominus S. Sedis Apoſtolicæ ſacriq; Romani Auditorij, & cuiuſq; ſapientis iudicio, & cenſuræ humiliter ſubijcio.

FINIS.



Errata insignora.

Pag.	lin.	Err.	Corr.
Pag. 4	12	noncupare	nuncupare
4	19	inculumes	incolumes
5	20	Canonicatum	Canonicatuum
5	21	obtundantes	obtundentes
5	22	temoritatis	temeritatis
5	27	ſapientiſſimè	ſapientiſſimi
6	16	ſentientiam	ſententiam
8	4	ſpiritualibus	ſpiritualis
8	22	Eccleſiam	Eccleſia
12	1	ipſi	ipſis
20	15	quia	qua
20	23	proriè	propriè
25	5	impregnant	impugnant
30	5	titulis	tituli
32	8	ſic	ſit
32	16	totius	totus
39	1	pacta	facta
50	19	gener	genere
52	20	præbenæ	præbendæ